Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1157

Quelle:
Copyright:

XXXIII. *fol.* 79. p. 2. *Item Omel. in Natal. Martyrum.* Initium: *Cum omnium ſanctorum martyrum fratres kariſſimi natalem deuotiſſime celebrare debemus* &c. *Maximi* eſt in *Natali SS. Taurinenſium Octavii, Aventitii et Solutoris*, prout legitur *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. p. 41. in qua edit. e *Noſtro* emendari poteſt lectio: *alter ortus eſt*, item: *praedicationis dominicae aditu*, item: *conſocii ſanctitate*, reſcribendo: *tortus eſt, auditu* et *conſortii.*

XXXIV. *fol.* 81. *Incipit Omel. in Ordinatione epiſcopi.* Sic: *Epiſcopatus fratres kariſſimi bonum opus eſt dicente beato apoſtolo qui epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat; Sed ubi opus auditur labor intelligitur. Quicunque ergo epiſcopatum ſic intelligens deſiderat, ſine ullo ambicionis tumore deſideret, ut enim hoc ipſum apertius eloquar, Ille epiſcopatum uere deſiderat qui populis dei non tam praeeſſe quam prodeſſe deſiderat. Sed iam nunc ad te mihi ſermo eſt frater kariſſime de cuius electione tanti in chriſto populi hodie gratulantur et uere digne et merito gratulantur* &c. Plura depromſi, cum non magis *Homiliam* ipſam, quam ejus Autorem norim, quamvis in Indiculo *Codici* praefixo *Auguſtino* detur. Inſumitur illa in opportunis ad novum Praeſulem monitis, finitque: *Haec ſi fideliter agimus, cum ante tribunal aeterni iudicis ueneri-mus ſecuri cum propheta dicere poterimus. Ecce ego et pueri quos dediſti mihi. Ubi pro multiplicato foenore talentorum audire mereamur. Euge ſerue bone et fidelis intra in gaudium domini tui. Quod ipſe praeſtare* &c. In quem locum Evangelicum tam in *Sacramentario Gregoriano*, quam in aliis vetuſtis *Ordinibus* apud *Martene de antiq. Eccl. Rit.* T. II. definere video Adlocutiones ad Neoepiſcopos.

XXXV. *fol.* 83. p. 2. *Incipit Omel. de caſtitate etiam cum Uxoribus obſeruanda et de auorſibus* (abortibus) *Mulierum et qualiter adueniente die dominico uel reliquis Feſtiuitatibus debeant puritatem uel caſtitatem cuſtodire.* Initium: *Magnum mihi gaudium facitis FF. kariſſimi dum ſolennitatibus martyrum tanta deuocione fidei ad eccleſiam conuenitis* &c. *Auguſtino* abjudicata, et ne quidem integra *Caeſarii* legitur prioris T. V. *Append. col.* 486. In *Cod.* abrumpitur his verbis: *iterum arent et ſeminent.*

XXXVI. *fol.* 85. compactoris errore inciditur in mediam Narrationem de *S. Silveſtro*, cujus titulus et initium habetur *fol.* 134. p. 2. atque inde usque ad fol. 140. proceditur, et tunc demum ad 85. revertendum eſt. Titulus porro ſic habet: *Incipit Actus Sancti Silueſtri Epiſcopi Urbis Romae.* Initium Praefationis: *Hiſtoriographus noſter Euſepius Caeſarienſis palaeſtinae epiſcopus. Cum hiſtoria eccleſiaſtica* (ſic) *ſcriberet praetermiſit* &c. In decurſu Autor anonymus ait, ſe haec acta *de graeco Euſebii in latinum*